Carolus Goetschke si diutius vixisset eique illa studia, quae retenta animo, intermissa temporibus revocare coepit, valetudine non impedito renovare atque otium in iis consumere licuisset: — ut erat et ingenii acumine et copia doctrinae insignis — de Sophocli fabulis inlustrandis haud scio an optime fuerit meriturus, at immatura morte et scholae et litteris adulescens ereptus est atque hunc ipsum libellum, quem aliis negotiis satis occupatus libenter conficiendum susceperat, non tam adumbratum nobis quam incohatum reliquit. quodsi quae ingravescente in dies morbo scribebat nec perpoliebat, ea protulimus nunc et divulgavimus, est sane cur vereamur ne crimini id nobis vertatur, qui optimi collegae et laudi et voluntati male videamur consuluisse. verumtamen quasi religione quadam et pietate adducimur ut hoc novissimum opusculum, quod prope iam moribundus in manibus habebat, cuicuimodi est edamus, quo magis memoria eius viri, cuius admirabilem industriam moresque libenter facillimos recordamur, grato semper animo recolatur atque ab ipsis discipulis cum caritate etiam futuro tempore usurpetur.

H.

---

# ADNOTATIONUM SOPHOCLEARUM SPECIMEN.

Agitur de Oed. Col. vv. 1044—1058.*)

In Sophocle emendando, mutando, mutilando tot elaborarunt viri et docti et indocti, ut ei qui nunc quidem accedit ad illum aut legendum aut interpretandum cavendum sit ne coniecturarum farragine aut opinationum acervo in errores deducatur neve argumentorum ad novam lectionem tuendam prolatorum insidiis decipiatur neve denique perdat iudicium acre. Quam enim Bentleius vocat pravam emendaturientium pruriginem, ea in poetam illum magis grassatur quam unquam in alium sive scriptorem sive poetam grassata est. Non iam, ut eiusdem Bentleii verbis utar, timor nec pudor coniecturas contra omnium librorum fidem proponendibus aurem vellunt sed cuilibet litteris Graecis imbuto Sophocles videtur aptus, in quo ex sententia artem criticam factitet, quem in pristinum, ut ait, nitorum restituat, quem limet, expoliat, exornet. Quid? illud studium nonne summa laude dignum videtur esse? Dignum sane est, dummodo praestent id quod magno hiatu pollicentur. Quod cur non praestent neque verius neque acerbius dici potest quam M. Haupt dixit in ind. lect. per sem. aest. a. MDCCCLXV habendarum. Scribit enim: ‚olim prisci illi homines et mente tardiores veterum scripta antequam emendare temptarent intellegere anxio quodam et inliberali studio adlaborabant: nunc multi a Terentio didicerunt facere aliquem posse intellegendo ut nihil intellegat, ideoque sordidum illud ac periculosum intellegendi studium cautissime devitant et tutiori se atque gloriosiori emendandi negotio totos tradunt.' Itaque audacter locos mutant, priusquam percensuerunt ac pervolutarunt, corrigunt temere priusquam explicare conati sunt.

Ego quidem quam rationem initurus sum, ex eis quae disputavi iam non potest esse dubium. Agam enim aut interpretis aut defensoris partes. In quo periculum faciam selegi Oed. Col. stasimon alterum 1044—1095 ed. Dindorf.

Neque vero ego is sum, qui me plane nova proferre profitear: sed idem quod Fellerus disputatione diligentissime conscripta (Zittav. 1869) sibi proposuit, ut et praeceptoribus fabulas explicaturis et discipulis suo Marte carmina evolvere cupientibus gratum faceret conlectis eis quae aut ab editionibus fabularum absunt aut passim dispersa sunt, — idem igitur si aliqua ex parte consecutus ero, satis me consecutum esse putabo. *Quae autem conscripsi qualiacunque sunt legentes ut cum indulgentia legant atque iudicent oro confidens neminem se non praestaturum esse eo mitiorem, quod pleraque conscripsi morbo satis gravi affectus.*

---

*) Cum totum stasimum G. explicare constituisset, non amplius quindecim versus interpretatus est. H.

[Inter fabulas*), quibus Sophocles ea quae de Oedipo eiusque gente circumferebantur tractanda sibi proposuit, Oedipus Coloneus ita comparata est ut medinm locum teneat. Nam cum Oedipo Rege id ageret poeta ut, quibus malis di omnium miserrimum illum obrui voluissent, ostenderet, Antigona autem ut edoceret quibus calamitatibus liberi illius mortui iactati fuissent: Oedipo Coloneo exposuit quem finem di iam placati fortunae vicissitudinibus fecissent illius, quo nemo magis in res adversas inciderat. Sic fabula alia aliam excipiente immutavit ea quae qui ante eum de eadem re carmina conscripserant aut alios secuti tradiderant aut ipsi excogitaverant. Atque ei qui Aeschylum, qui primus spectandam hanc fabulam proposuit, aetate anteibant, Oedipum cum se patrem interfecisse, matrem duxisse uxorem non ignoraret regnum nihilo minus tenuisse finxerunt, neque de nobilitando illo, cuius vita atrocibus foedisque rebus insignis fuerat, Aeschylus ipse cogitavit. Eam autem fabulae formam, qua Oedipum Thebis aut egressum aut eiectum prodebant ut amplecteretur Sophocles adductus est cum argumento ad audiendum iucundissimo tum pagi, unde oriundus erat, concelebrandi studio. Nam inter varia numina, quibus eo in pago sacra fiebant, locum adsignarant illi, quem regioni in qua sepnlcrum nactus esset saluti fore di praedixerant eique singularem e vita exitum impertiverant. Inde factum est ut Sophocles iam puer penitus imbiberet animo sacrorum illorum venerationem atque adultus — qua erat pietate — circumspiceret quo maxime modo coleret atque obser-observaret eum quem patriae putabant patrocinari.

Cohaerent quidem fabulae Sophocleae ad Oedipum spectantes, neque vero sic inter se conspirant ut nulla in re ab altera altera discrepet. Sic quo oraculo factum est ut Oedipus Antigona ducente in nemus Eumenidum sacrum iter flecteret, eius in Oedipo Rege mentio fit nulla nec fieri id quidem potuit, quoniam agitur de rege iniquissima fortuna conflictato, quietis experti, solacii ac refugii indigenti. Non semper Thebis commoraturum esse Oedipum Tiresias praedicit, sed praedicit ut minetur; quae se maneant divinando adsequitur Oedipus (v. 1455), sed adsequitur horrore perculsus, cum se a deabus placatis receptum iri ignoret. Hanc autem quietem, quam sese adepturum esse desperat, qua ratione sit nactus ille qui invitus ac nescius in summa flagitia incurrerat, hac fabula agitur. Simul quae proelia exarsura sint inter eos qui recepturi sint salutem adlaturum et eos qui eiecerint eundem, diserte indicatur.]

Mutua autem hominum contentione paratur vigor is atque ea alacritas, quibus ut fabulae scaenicae instructae sint natura atque indoles poesis scaenicae postulat respuens illa quidem narrationum tenorem, personarum diversa sectantium vicissitudine excellens. Fraude circumventurus Oedipum Atheniensesque adest Creon: iniuriam ut defendant hi omnibus nituntur viribus. Ille adhibita vi quod vult assecuturus est: Theseus ut fidem datam servet simulque sibi commoda comparet ex Oedipi sepulcro redundatura, Thebanos prohibet invitum secum abducere. Ea dum aguntur, ad summam alacritatem concitata est fabula; atque ea ex parte depromptum est id carmen quod illustrandum nobis proposuimus. Quod quid valeat ipsum, qui nexus sit in eo sententiarum, quid singula sibi velint, apte non demonstrabimus, nisi totius fabulae inde a principio decursum enarraverimus.

Primus prodit in scaenam Oedipus eiectus a suis, caecus, ad summam rerum inopiam redactus, ab omnibus praeter Antigonam derelictus. Itinere defessus quieti se dare cum velit, vix in lapide iubente filia consedit, cum adest viator suadens ut quam celerrime locum in quo consederit ille deserant. Esse enim nefas in eo commorari, cum sacer sit dearum severarum. Illae quae sint edoctus Oedipus tantum abest ut exire properet, ut usque se esse remansurum profiteatur. Atque haec fiducia sic illius commovet animum, ut mutato consilio non iam abacturus sit Oedipum, sed re cum civibus communicata quid faciendum esse videatur deliberare velit. Abeuntem autem retinet Oedipus de loco, incolis, principe interrogans. Cui ille sic satisfacit ut regio omnis quibus consecrata sit, exponat eamque in qua consederit a Colono duxisse nomen, penes Theseum autem imperii summam esse enarret. Iam vero ubi illum regnare comperit, orat atque precatur ut regem advocandum curet, magnis simul commodis quae ipse largiturus sit propositis. Postquam discessit ille, Oedipus precibus prosequitur deas potentes, quarum delatus sit in lucum, quem Apollo quondam ipsi requiem esse praebiturum affirmaverit salutem adlaturo eis qui recepissent, qui eiecissent perniciem. Deas ipsas huc deduxisse se putat, quoniam in earum fines ultro delatus sit: misereat sui illas calamitatibus omnibus vexati, misereat Athenienses supplices benigne accipere solitos. Haec ubi dixit silere eum iubet Antigona, cum senes adproperent anxie quo loco consederit circumspectantes. Itaque ut antea cognoscat qui animus sit eorum ac voluntas, virgulto patrem absondere sese iubet, qua re haud parvum choro quaerendi studium excitat ne-

*) Delevit et induxit haec G. paucis ante mortem diebus: sed ne lacuna, quam de nostro explere non par erat, relinqueretur, adscribere ea non dubitavimus. H.

que videnti Oedipum ibi sedentem ubi sedere eum acceperat neque sibi persuadenti in lucum ipsum recessisse eum. Dubitantibus ille emergens e latebris indicat ubi sit adspectuque obstupefactos ne se impurum ducant obsecrat. At illi hortantur ne ulterius progredi velit; negant se prius cum eo collocuturos esse quam deseruerit ea quae ingredi nefas sit. Tum demum cum addidissent se neque ipsos infelicem expulsuros neque alios eum expellere passuros esse, obsequitur Oedipus propius accedens, sciscitantibus autem de genere et patria non aeque facilem se praebet. Verumtamen cum tandem eum ut aperiret illa adduxissent, immemores eorum quae antea promiserant ratique, quoniam in fraudem inducti essent, promissis sibi standum non esse senem flagitiis onustum contagioque funestum finibus statim extorrem esse volunt atque iubent. Antigonae vero pietate et precibus ita permoventur ut lenitis animis necessitatem religione impositam excusent. Tum Oedipus ut hunc scrupulum eximat de illa eos laude admonet, quam nunquam non receptis supplicibus Athenienses sibi comparaverint; quae autem perhorrescant facinora non tam perpetrasse se ait quam perpessum esse: licet commiserit, commisisse se insontem, in fraudem inductum; monet ne deorum voluntati cum obsequi velint eidem adversentur; insuper adferre se commoda, quae qualia sint se coram principe enarraturum esse. Quae cum audivisset chorus regi rem esse diiudicandam respondet simulque animum Oedipi de Thesei voluntate anxii confirmat atque erigit. Dum haec loquuntur, femina mulo advehitur, quam laeta Antigona videt esse Ismenam. Sequitur oratio eximia mollitie insignis, patre et filiabus invicem testantibus quam sibi cordi curaeque sint. Adferre se nuntium ab uno famulo comitatam Ismena dicente patrique quaerenti, cur filii laborem eum detrectarint, dissidere eos inter se indicante fit ut ille invehatur in filiorum ignaviam animosque in peius mutatos, prae quibus quae sit ac fuerit filiarum pietas in patris miseria sublevanda conspicua pluribus commemorat. Plura sciscitantem certiorem facit illa filios nunc quidem regnandi cupidos armis invicem se petere atque ad tantam intemperantiam progressum esse Polynicem pulsum ut novam Argis sibi petiverit affinitatem auxiliumque. Jam vero cum illud oraculum datum sit in Oedipo solo Thebarum salutem esse positam, Creontem non esse moram interpositurum quin eum a quo summa salus pendeat in regione Thebis propinqua collocet: nam ipsis Thebis condere paricidio incestuque contaminatum religioni esse. Tum Oedipus Thebanos umquam mortuum aut vivum se recuperaturos esse negat et diras imprecatur filiis degeneribus, qui hoc oraculum non ignorantes arma non posuerint neque patrem esse reducem voluerint; Atheniensium vero esse rata facere ea quae oraculum sperare iubeat: quocirca et ipsi et suis rebus consulant. Atque tantum abest ut chorus quidem nunc negotia seni facessat, ut remanere eum velit, dummodo deas, quas lucum ingressus exacerbarit, sacris rite factis propitias reddiderit. Id munus sibi demandari vult Ismena, et postquam filia discessit, denuo chorus Oedipum percontatur de malis eius vitaque luctuosa. Quibus dum obsequitur invitus ille quidem efficitur ut magis magisque de culpa se purget is qui postea lumine circumfusus erit splendidissimo. Nec minus scite excogitavit Sophocles quod Theseum iam prodeuntem fama de Oedipo eiusque vita divulgata omnia fingit satis cognovisse. Cumque ille non denegasset hospiti praesidium, se ipse ei dono dat Oedipus non parva e sepulcro suo in regionem Atticam commoda esse redundatura adfirmans. Fatale enim esse Thebanis congredi cum Atheniensibus. Quo bello ne inferiores discedant, mox adfuturos esse illos ut salutem oraculo portentam sibi comparaturi reducant quem eiecerint. Reverti se nec velle nec posse; quare ut Theseus prospiciat remansuro defendatque vim illorum qui non nisi oraculi monitu ipsum revocent semel atque iterum obtestatur. Neque ille deest petenti, sed loco quo versatur discedere eum nolentem choro tuendum tradit. Chorus vero ut in cuius civitatis tutelam sit receptus demonstret, stasimo Colonum Athenasque maximis laudibus ita effert ut cum alia deorum munera tum altera stropha ea praedicet, quibus maxime cives adventante hoste confidant. Paullo post adest Creon comitibus stipatus et primo quidem permulcet animos fide interposita se non venisse id agentem ut vi utatur, sed ut quem reverti universa Thebanorum civitas velit comi oratione lenibusque verbis reddat suis, patriae, vitae laetiori. Contra Oedipus ostendit quanto opere quae nunc polliceatur Creon discrepent ab illa asperitate et immanitate qua ipsum eiecerit: nunquam se cum Thebanis in gratiam rediturum sed diris eos vexaturum esse ut iniuriarum vindictae obnoxii sint. Exorta inde altercatione Creon

Oedipo quam male sibi consulat exprobrat: se enim eius pertinacia adduci ut quae consequi velit adhibita vi persequatur atque Ismena abducta etiam Antigonam secum abducat. Et abripitur ex amplexu patris Antigona invito choro iamque Oedipum ipsum tracturus Creon est, cum clamore utrimque sublato intervenit rixantibus Theseus suosque in sacris Neptuno faciendis occupatos evocat, ut eos qui rapuerunt virgines persequantur praedamque qua fieri possit virium contentione eripiant. Creontem autem opprobriis obruit quod praedonis more puellis potitus sit. At ille de puellis avunculo sibi arbitrium fuisse respondet, de vi autem in Oedipum intentata sic se purgat ut se credidisse dicat eum qui culpa tam foeda teneatur exclusum esse Athenis testantibus illis quidem Areopago instituto quid de eiusmodi sceleribus statuendum esse censeant. Quod autem manum ei iniecerit, animum suum vehementissime perturbatum esse cum diras ille quam atrocissimas imprecaretur. Contra Oedipus explanat se omnia quorum macula adspersus sit invitum commisisse ita ut delicti culpa careat: illum vero adulatoris modo Athenienses ad suam sententiam perducere velle virtutibus, moribus, institutis laudatis, immemorem eorum pietatis in dis colendis hospitibusque defendendis conspicuae, qua nihil antiquius, nihil sanctius habeant. Tum summo opere precatur ut adsint ipsae Eumenides iuvaturae eos quibus religio cordi sit, animadversurae in eos qui despicatui habeant. Tum vero Theseus Creontem ad latebras quibus puellas abscondendas curaverit ducem praeire iubet; quodsi fugae intenti sint raptores, facile ait consecuturos esse eos quos, ut persequerentur, ipse dimiserit. Exeunt subinde Theseus et Creon, hic quidem minis se victum esse dissimulans, ille Oedipum ne de puellis in libertatem vindicandis desperet, erigens atque confirmans.

Jam subsequitur carmen de quo pluribus disserere nobis proposuimus. Tragici poetae si omnes ea se arte imbuissent, cuius legibus Sophocles nusquam non se adstrinxit, neque in gravem reprehensionem incucurrissent Aristotelis qui quidem iure suo vult *τὸν χορὸν ἕνα ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ*, neque ab Horatio moneri debebant,

ne quid (chorus) medios intercinat actus
quod non proposito conducat et haereat apte.

Atque hoc quidem carmine quae comprehenduntur vide quam facile, pulchre, artificiose cum iis quae praecesserunt conectantur. Etenim cogitatione sibi fingens iam in eo esse ut Thesei manus cum aufugientibus congrediatur optat chorus magno opere ut pugnam illam praesens spectare possit. Dubius autem ubi manum conserturi sint singula illius regionis loca laudat, quibus locis certamen futurum esse existimat, tribuitque orae magna sacrorum fama ornatae laudes debitas. Sed quoniam fieri poterat ut alio se converterent adversarii, alium subiungit locum, ubi dubitat an sui persequentes a fuga illos prohibituri sint: nam fore ut prohibeant non sperat sed confidit. Summis enim laudibus et Coloni et Athenarum incolas ita praedicat, ut sibi persuasum esse, spem quam conceperit falsam esse non posse, appareat. Haec primae strophae summa est. Altera autem repetit et amplificat chorus eam sententiam, qua et mox et bene rem gestum iri auguratus erat: quam vellet sibi in columbam mutato certantium turbam ex alto spectare liceret. Addit preces, quibus deos ut popularibus faveant advocet, Jovem omnium rerum praesidem et propugnatricem Minervam, Apollinem et Dianam venationis faustae largitores.

Quoniam quae contineantur hoc carmine exposui, nunc quid de singulis aut rebus aut verbis statuendum sit consideremus.

v. 1044. *Εἴην ὅθι δαΐων*
*ἀνδρῶν τάχ' ἐπιστροφαὶ*
*τὸν χαλκοβόαν Ἄρη*
*μίξουσιν, ἢ πρὸς Πυθίαις, ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς* —

Ac primum quidem de voce quae est *ἐπιστροφαί* dicendum est. In hac tuenda quamquam consentiunt cum omnes libri tum Laurentianus et quamquam haec sententiae non modo non repugnat sed etiam aptissimam praebet, ita ut suspicionis ansa sit nulla: tamen Augustus Nauck in notis criticis editioni Schneidewinianae adiectis hanc lectionem reiciendam esse dixit. Atque sic quidem eam impugnat quasi Godofredus Hermann ut interpretationem extunderet

omnes intenderit nervos. Is vero adnotat haec: ‚Proprie dictum *ἐπιστροφαί*, quod qui se cum puellis recipiebant Thebani in Athenienses a tergo irruentes sese convertere debebant.' *ἐπιστοφή*, quam vocem hoc loco non eis finibus circumscribendam esse patet quibus circumscripsit Arrianus Tact. 55, de militibus se convertentibus fere semper adhibent scriptores, vix ut aliud admittant, nisi forte peculiare mutatorum ordinum genus significandum est. Usu illo paene perpetuo adducti sunt viri docti ut Thucyd. II, 91 refragantibus libris optimis, qui exhibent *ὑποστροφή*, scribendum esse censerent *ἐπιστροφή*, qua voce Thucydides paullo ante usus est. Ego quidem quid offensionis esse possit, si vertimus ‚sese convertentes inimici illi aufugientes mox cum nostris congredientur' non video, praesertim cum neque qua re ut sese convertant adducantur neque in quem se conversuri sint latere quemquam possit. Quod si substantivi loco participium positum recte se habebit, aeque recte adhibebitur substantivum, ut cadat illa Naucki dubitatio cadatque simul, cui vulgatam scripturam cedere vult, *συστροφαί*. Id quidem vocabulum fatemur non multum recedere a litterarum quae nunc circumferuntur ductu nec repugnare sententiae confertam multitudinem significans: eam enim vim habet apud Herodotum VII, 9 *τί δείσαντες; κοίην πλήθεος συστροφήν*; scribentem et Polybium IV, 34 *δείσαντες τῶν νέων συστροφήν* praebentem. Neque opus erat scholiastae adnotatione ut crederemus *Κρέοντα οὐ ψιλὸν ἥκειν ἀλλὰ μετά τινος χειρός*: dixerat enim Antigona v. 723 *ἄσσον ἔρχεται Κρέων ὅδ' ἡμῖν οὐκ ἄνευ πομπῶν*, qua dicendi forma vel pueri sciunt vim sententiae augeri illo Graecorum more quo ‚negant id cuius contrarium intellegi volunt' (Herm. ad Soph. Phil. 349). Creontem igitur verisimile est comitum quibus stipati reges prodire solent (Soph. Aiac. 1115 Phil. 45) numerum auxisse utpote Oedipo et filiabus insidias facturum atque exspectantem prohibituros esse quorum se illi tutelae commiserant. Sed ut scite excogitaverit hanc vocem Nauckius, non tamen evicit illa ratione scribi non posse, altera scribi necesse esse. Sic enim agit ut fere illud ‚stat pro ratione voluntas' in eum cadere videatur. Qui quidem vir ingenii acumine et doctrinae copia licet excellat optimeque de litteris Graecis sit meritus, tamen iusto saepius laureolam sibi florere ratus vexavit locos de quibus corrigendis cogitandum non erat. — In plurali numero huius *ἐπιστροφαί* non haerendum est; convertere enim se cum debeat unusquisque aufugientium, et Graecorum et Romanorum consuetudini pluralis numerus ita convenit ut singulari vix locus sit.

*εἴην*. Notandus est seholiasta chori optantis verba duplici modo *εἴθε εἴην* et *εἴθε ἐγενόμην* interpretans, quasi utrumque ad idem redeat. Non sollicitabimus illud *εἴθε* optativo appositum, quamquam Hermannum (ad Viger. p. 757 ed. alt.) videmus hoc statuere *εἴθε* apposito optari solere quae futura esse non sit credibile, simplicem optativum adhibere eos qui quae optant fieri posse credant. Sed *εἴθε ἐγενόμην* illud explodendum et exsibilandum est. Hac enim qui utitur formula vel illa altera *ὤφελον γενέσθαι* non modo de re praesenti non loquitur sed simul ex voto sibi non successisse significat. Quare Brnnckius, ut hunc a scholiasta errorem removeret, *γενοίμην* scribendum putavit.

*δάϊος*. Hermannus ad Aiac. 771 monet, ubi haec vox *miserum* significet, etiam in iambis doricam formam adhiberi, ubi *hostem*, communi forma *δήϊος* dici, in melicis autem doricam formam utrique significationi inservire.

*τάχα*. Miror quod Godofredus Hermann non vidit Vigerum p. 447 iniuste Eustathio tribuisse quod alteri tribuendum est. Scribit enim Vigerus: ‚Prima et antiquissima vis particulae *τάχα* est cito, celerter, brevi, *εὐθέως* — Apud Homerum certe, uti recte Eustathius observavit numquam aliter occiurrit nisi in hoc sensu.' Eustathii observatio, cuius illi in mentem veniebat scripta ad Od. *α*. 252 haec est: *τὸ δὲ τάχα σημειοῦνται οἱ παλαιοί μηδέποτε παρὰ τῷ ποιητῇ διστακτικὸν εὑρίσκεσθαι, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ταχέως ἀεὶ παραλαμβάνεσθαι*. Est autem Aristarchi haec observatio, de qua pluribus disputat Lehrs de Ar. stud. Hom. p. 92. Iam vero apud eos Atticos qui prosa oratione utuntur hoc *τάχα* semper ita usurpatur ut coniectandi sit particula, qua de re consuli iubent Ruhnkenium ad Timaeum p. 151 coll. Heindorf ad Plat. Phaedr. 228 C. Apud tragicos autem poetas non modo plurima sed omnia fere exempla ita comparata sunt ut prae se ferant temporis notionem: id quod mirari non debemus considerantes quotiens hi poetae Homeri propria revocaverint. Sex enim reperiuntur exempla ubi *τάχα* significare videtur id quod est *fortasse* *ἄν* particula non addita: Soph. Phil. 305. Eurip. Bacch. 560.

Hecub. 1247. 1259. Iph. A. 1429. Iph. T. 782, e quibns Hec. 1259. Iph. A. 1429 ita comparata sunt ut dubitare possis utram significationem amplecti praestet. Ceteris omnibus exemplis nudum *τάχα* vertendum est eo quod est *mox*, *τάχ' ἄν* vero coniecturae inservit.

Sed ne dixisse videar quod comprobare non possim, attuli omnes versus, in quibus tragici poetae *τάχα* particulam adhibuerunt. Nudum *τάχα* ea significatione quae est *mox* usurpatum est Soph. Aiac. 334. 1256. Oed. R. 84. 373. 421. 1295. 1519. Oed. C. 819. 820. 835. 858. 980. 1045. 1057. 1076. Ant. 37. 631. 1280. Trach. 185. 640. 666. 1241. Soph. fr. 355 Nauck.

Aesch. Sept. 261. 659. Pers. 246. Suppl. 862. 905. Agam. 489. 1161. 1172. 1648. Choeph. 305. 965. Eum. 419. 454. 597. 729.

Eur. Androm. 263. 265. Bacch. 232. 546. 587. 1194. Hel. 452. 1513. 1623. El. 226. Heracl. 74. Herc. f. 500. 871. 1084. Suppl. 551. Hippol. 9. 182. Iph. A. 311. 461. 970. Cycl. 51. 210. 422. 518. 589. 592. 610. Med. 107. 335. Or. 133. 1289. Eur. fr. 540 N. (*τάχιστα* libri, *τάχα* Grotius).

*τάχ' ἄν* legitur Soph. Aiac. 170. 345. 691. 779. 1042. 1148. Oed. R. 139. 523. 936. 1116. Oed. Col. 965. Trach. 387. Phil. 20. 1061. 1078. Soph. fr. 493 N.

Aesch. Prom. 312. Sept. 402. 663. 913. Suppl. 184. 458. 486. Eum. 512.

Eurip. Alc. 1101. Hel. 1082. Heracl. 462. Suppl. 184. Iph. A. 987. Med. 739. Rhes. 138. 561. 995. Eur. fr. 101. 325 N.

Illud autem non ita reconditum est qua ratione *τάχα* particula in eam significationem quae est *fortasse* deflecti potuerit. Celeritatis enim notioni inhaerere solet ea qua quis facile aliquid exsequi posse putatur: facilitati vero adfinis est levitas omniaque quae iusta ratione carent neque digna sunt quibus confidas. Hinc particula eam potestatem nacta videtur esse qua *posse* aut fieri aut esse aliquid denotat ita ut idem quod *ἴσως* valeat, quocum saepius sive componitur sive permutatur.

*τὸν χαλκοβόαν Ἄρη μίξουσιν.* In libro a Mauricio Schmidt Jenae 1870 edito qui est inscriptus ‚die sophocleischen Chorgesänge rhythmirt' typis excussum est *χαλκοβίαν*. Quae vox cum non exstet, verisimile est typothetarum errori eam deberi. Jam vero si M. Schmidt aliquid novi excogitasset, quid tandem est ant esse potest cur recipiatur illud vocabulum cum et refragentur omnes libri et vulgata lectio ita comparata sit ut nihil magis cum sentiendi et loquendi veterum consuetudine convenire possit. Etenim metaphora quae vocatur cum (Quint. Inst. or. VIII. 6, 8) ‚brevior sit similitudo eoque distet quod illa comparatur rei quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur' cum porro ‚transferatur nomen aut verbum ex eo loco in quo proprium est aut quia necesse est aut quia significantius aut quia decentius' (Quint. VIII. 6, 6, coll. Cic. de orat. III. cap. 39): nemo ea ‚brevi similitudine' qua omnia quae aut firmitate aut robore praestant aenea esse dicuntur vix ‚significantius' quidquam excogitari posse non fatebitur. Hinc Didymum grammaticorum maxime industrium quippe quem amplius tria milia librorum scripsisse ferant, nullo labore confectum, eadem semper alacritate vigentem cognomine quod est *χαλκέντερος* ornarunt: hinc Homerus Il. B 490 Graecorum copias enumeraturus asseverat se quidem rei parem non esse

*οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δέ στόματ' εἶεν,*
*φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δὲ μοι ἦτορ ἐνείη.*

hinc Il. E 785 Stentor, qui propter vocis firmitatem in proverbium abiit, *χαλκεόφωνος* vocatur,

*ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα,*

cui versu non parva pulcritudo exitu illo spondaico adcrescit. Quodsi iam Stentori aenea latera non iniuria tribuuntur, nonne maiore iure Mars sibi eum honorem vindicabit, qui a Diomede ‚Palladis ope superis pari' laesus (Il. E 859)

*ἔβραχε —*
*ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι*
*ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος. —*

Soph. Aiac. 17 *φώνημ' ἀκούω καὶ ξυναρπάζω φρενὶ*
*χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς*

dubitant interpp. utrum ob vehementem sonum an quod aerata sit tuba dicatur *χαλκόστομος:* et suo iure dubitant. Quamquam nescio an praecedens illud *εὐμαθές* faciat ut haec interpretatio probabilior videatur, cf. Aesch. Eum. 567

*διάτορος Τυρσηνικὴ*
*σάλπιγξ βροτείου πνεύματος πληρουμένη*
*ὑπέρτονον γήρυμα φαινέτω στρατῷ.*

et Il. Σ 219

*ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνή, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ*
*ἄστυ περιπλομένων δηίων ὕπο θυμοραϊστέων*
*ὡς τότ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο.*

Ceterum eandem metaphoram nulla lingua non expressit. Attulit e latina Reisigius ‚ferrea vox': non prorsus absonum est Hor. Ep. I 35, 19. 33, 16 coll. III 9, 18. Sed in audaciae crimen incurrere mihi videor pluribus de hac re disputans, quam ea qua excellit doctrina Mauricius Seyffert inlustravit adnotatione ad Cic. Lael. XIII 47 scripta (p. 321). — Etsi autem vocabulum quod est *Ἄρης* ita usurpatum est ut cogitandum sit de re illius tutelae subiecta, tamen ea remansit in animo personae notio ut quae vox proprie personae convenit eadem rei quam illa persona repraesentat tributa sit.

*Ἄρη μίξουσιν.* Ad hanc locutionem explicandam provocant ad Homericum *ξυνάγειν Ἄρηα*, quod l. supra l. plenius expressum erat *ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος*, Il. Ξ 448 *σύναγον κρατερὴν ὑσμίνην* et quae sunt alia id genus. In his exemplis id quod plenius dicendum erat cum in brevius contractum sit audaciae non inelegantis speciem prae se fert. Etenim si hoc ad vivum resecare volumus: non proelium miscetur, sed aciebus mixtis proelium fit. Itaque non *μῶλον Ἄρης συνάγει* (Archil. fr. 4 Bergk) sed *συνάγων* vel *συναγαγὼν πολεμίους μῶλον ποιεῖ.* Neque aliud quicquam statuendum videtur de locutione non minus usitata *ξυνάπτειν πόλεμον* vel *μάχην*, quod explicatius Herod. V. 75 dixit *συνάπτειν τὰ στρατόπεδα εἰς μάχην*, aut de eo quod est apud Latinos ‚conserere pugnam.' Quare non absimilia videntur exempla qualia sunt Soph. Aiac. 434 *ἔργα χειρὸς ἀρκέσας ἐμῆς* (i. e. *ἀρκῶν ῥέξας*) et quae ad h. l. adfert Schneidewinus Aiac. 55 *ἔκειρε φόνον* (i. e. *κείρων ἔπραξεν*), Oed. C. 1401 *οἷον ἆρ' ὁδοῦ τέλος Ἄργους ἀφωρμήθημεν* (i. e. *ἀφορμηθέντες ἐπράξαμεν*). Ad v. 1086 autem eiusdem fabulae *τὰ σέμν' ἔπη κόλαζ' ἐκείνους*, ubi glossa exstat haec *κολάζων ἐκείνους λέγε τὰ σεμνὰ ἔπη*, Schneidewini diligentia haec suppeditat Oed. R. 340. Ant. 408. Phil. 66. Addo ex Hesiod. Opp. 422 *ὑλοτομεῖν ὥρια ἔργα*, quod ‚propria graeci sermonis breviloquentia nihil aliud signifihat quam *ὑλοτομοῦντα ἐργάζεσθαι ὥρια ἔργα* i. e. materiam caedentem opera tempestiva efficere' (Schoemann).

*ἢ πρὸς Πυθίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς.* Iam coniecturam faciens ubi locorum aufugientes cum persequentibus manum sint conserturi chorus duo adfert illius regionis loca in quam tendere iusserat Theseus equites praedam illis erepturos v. 900

*σπεύδειν — — ἔνθα δίστομοι*
*μάλιστα συμβάλλουσιν ἐμπόρων ὁδοί,*

quibus verbis vias maxime frequentatas ac pompis nobilitatas, Delphos illas quidem et Eleusina ducentes significari adparet. Atque illi quantam curam impenderint Athenienses quaque religione eam muniverint ex Aesch. Eum. v. 12 colligi potest:

*πέμπουσι δ' αὐτὸν καὶ σεβίζουσιν μέγα*
*κελευθοποιοὶ παῖδες Ἡφαίστου χθόνα*
*ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.*

In eam ut se conferrent Thebani locorum natura ferebat: nam cum haec Delphica via per medios Boeotorum fines duceret (qua re factum est ut Delphos publice profecturi Boeotorum veniam expeterent secundum Aristophanis versum Av. 189

*ἣν ἰέναι βουλώμεθα*
*Πυθῶδε, Βοιωτοὺς δίοδον αἰτούμεδα*)

in quam aliam sese illos convertisse magis consentaneum erat? Utraque vero via ducebat per Aegaleorum montium angustias quasdam, quibus erat nomen *ποικίλον ὄρος.* Ibi Pausania teste (I. 37, 7) miro quodam oraculo ducti Cephali filii aedem exstruxerant Apollini Pythio. Hinc monti temploque adiacentes regiones *Πυθίας* nominatas esse existimandum est. Sed quo-

niam non iuxta mare sitae erant, quid tandem est cur *ἀκταί* appellentur? Nihil nos adiuvat scholiastae illud *ἀπὸ κοινοῦ τὸ ἀκταῖς ληπτέον*. Ea enim cum sit huius figurae ratio ut quae ad utrumque sententiae membrum pertinet notio posteriori adiciatur, utrique tamen aeque conveniat: huc non quadrat, quamquam *ἀκταῖς* utrique membro commune est. Afferam autem pauca, ne longus sim, *ἀπὸ κοινοῦ* figurae exempla. Hor. C. II 7, 25

Quis udo
Deproperare apio coronas
*Curatve* myrto?

Verg. Aen. I 360

Devenere locos ubi nunc ingentia cernis
Moenia *surgentemque* novae Carthaginis arcem.

vid. J. M. Gessner ad Hor. C. II 19, 28. Pind. Ol. VI 42. Pyth. V 107. XI extr. Praepositio vero frequenter *ἀπὸ κοινοῦ* usurpatur cfr. Bentley ad Hor. C. III 25, 2. Lobeck ad Soph. Aiac. v. 398. Pind. Pyth. I 14. Nem. III extr. Isth. I 29 alia multa apud eundem poetam. Soph. Oed. R. 734. 761. 1205. Ant. 366. 1176. De vocis negativae traiectione cf. Herm. ad Soph. Phil. 760. 1370 (Matth. gr. gr. § 595, 4), C. Fr. Hermann ad Lucian. de hist. conscr. 45.

E quibus omnibus efficitur hanc *ἀπὸ κοινοῦ* figuram h. l. nobis usui non esse. ‚Verba genuinam formam exuerunt' ait Aug. Nauck. Licet exuerint, a nobis non postulabit ut hoc *μίξουσιν ἢ πρὸς Ῥαρίδος Δαμάτερος ἀκταῖς* genuinam formam fuisse credamus. Itaque nisi in usum nostrum convertere nos praestat quae Godofr. Hermann spreto Reisigii ignobili flumine monuerat ‚Sophoclem loqui minus proprie tractum illum in mente habentem in quo et Eleusis sit et longius a mari remotum Pythium': confugiendum erit ad illud grammaticorum zeugma quod vocant, in qua dicendi ratione ea lex est principalis ut vox quae depromenda atque subaudienda est notione cohaereat cum ea cui minus convenientia subiuncta sunt, eique sit cognata. Quamquam C. W. Nauck eo quo solet more in Horatii in scholarum usum illustrati editione impugnat illud de quo consentire ait viros doctos ut gravissimi momenti exemplo Hom. hymn. in Ap. 214 (Ap. Pyth. 87 ed. Baum.)

*ἔνθα τις ἀνθρώπων βουλήσεται εἰςοράασθαι*
*ἅρματά τ' εὐποίητα καὶ ὠκυπόδων κτύπον ἵππων.*

Nauckius enim vel strepitum conspici posse affirmat. Contra Baumeister ad *κτύπον* ait subaudiendum esse *ἀκούειν* ex antecedenti *εἰςοράασθαι* depromendum. Et fieri id quidem potest cum (Quint. X 1, 13) ‚ex proximo mutuari' liceat notionesque inter sese cohaereant ita ut ad unam eamque ampliorem revocari possint. Exempla quaerentem ablegamus ad Obbarium in Schmid. Horat. epist. ed. II 1, 153. — Sic hoc loco Dindorfius ex *ἀκταῖς* vocabulo depromit *αὐλαῖς*: potest etiam cogitari de vocibus quae sunt *γῆ* vel *χθών* coll. Seidler. ad Eur. Troad. 4.

Alia dubitandi causa erat Nauckio *λαμπάς* vocabulum adiectivi loco usurpatum. Quod cum usque ad Nauckium editorum nemini offensioni fuisse videatur, illi sibi persuaserunt scilicet Sophoclem novasse orationem eique ut poetae id licuisse. Neque quisquam negabit in eo eum numero fuisse qui quousque his in rebus progredi liceret probe perspectum haberent. Sed quoniam Nauck id offendit quod aliud exemplum, in quo vox illa adiectivi vice fungitur, non exstat: consideret velim neque omnia quotquot veteres litteris consignarunt aequam nobis fortunam servavisse neque unamquamque rem, ut iusta ei auctoritas accedat, exemplorum nube tamquam fossa et vallo muniri necesse esse. *Λαμπάδα* vero vocabulum ab omnibus criticorum conatibus vindicavit vir summus Augustus Meineke cum suapte natura id adiectivum esse moneret. Neque enim is falso statuisse videbitur reputantibus quot voces in *ας* exeuntes et a substantivis et a verbis oriundae adiectiva sint, *ὀρειάς*, *Πολιάς*, *Ἰλιάς*, *δρομάς*, *μαινάς*, *τριβάς*, *φοιτάς*, *ἰλλάς*, *Παλλάς* (Plat. Cratyl. p. 406 E). Huc accedit quod id quod est *Ἑλλάς* (cfr. Krueger gr. gr. II § 57, 1, 3) non solum cum eiusmodi vocabulis coniungitur qualia sunt *χώρα*, *γῆ* — ubi appositionis munere id fungi dicas — sed etiam cum aliis vocibus ita copulatur ut appositio quam dicunt esse non possit. Quamquam Soph. Phil. 224

σχῆμα μὲν γὰρ Ἑλλάδος
στολῆς ὑπάρχει προσφιλεστάτης ἐμοί

alter versus eidem Nauckio non genuinus videtur esse, atque Aesch. Ag. 109

ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας ξύμφρονε ταγώ

sic explicari potest — etsi non ita explicamus — ut substantivi genetivus sit: sescentiens hoc vocabulum cum eo quod est γυνή coniungitur legiturque apud Herodotum V. 93 Λακεδαιμονίοισι ἐπεμαρτυρέοντο μὴ ποιεῖν μηδὲν νεώτερον περὶ πόλιν Ἑλλάδα (contra Xenoph. Anab. V. 1, 1 πόλιν Ἑλληνίδα posuit). Verum cum λαμπάσιν ἀκταῖς ita tueamur ut illud aut natura esse adiectivum aut adiectivi naturam induisse putemus, non eodem modo ea quae sunt ἄνθρωπος ὄρνις, ἄνθρωπος βάτραχος (cfr. Krüger gr. gr. § 57,1, 3) explanamus neque quemquam fore arbitramur qui Aristophanea illa in auxilium advocans enarrare velit ‚litora quae taedae sunt'. — Ceterum de eis rebus quae ad Eleusinia pertinent evolvenda sunt ea quae Preller in libro de mythologia Graecorum scripto I p. 616 ss. copiosissime exposuit.

v. 1450 οὐ πότνιαι σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη
θνατοῖσιν, ὧν καὶ χρυσέα
κλῆς ἐπὶ γλώσσᾳ βεβακε
προσπόλων Εὐμολπιδᾶν·

La. praebet σεμναί. Quod cum non respondeat antistrophae, qua sanius nihil esse potest, Reisigius γε particulam post δεινός vocabulum inculcavit, quo addito quantopere sententiae vis frangatur nemo non sentit: Valkenarius autem ad Eur. Hipp. 25 una litterula deleta labanti metro opem tulit.

Jam vero αἱ πότνιαι vel αἱ σεμναί inprimis illae τὼ θεώ, Ceres et Proserpina, appellantur (cfr. Prell. l. l. I p. 588) eaedemque αἱ μεγάλαι vocabantur Andaniae (Pausan. IV 1, 8), Megalopoli (VIII 31, 1 θεῶν ἱερὸν τῶν Μεγάλων· αἱ δέ εἰσιν αἱ Μεγάλαι θεαὶ Δημήτηρ καὶ Κόρη) vid. v. 683 h. fab. ibique interpp.

σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη. Schol. nisi forte veritus est ne quis de magistratu aut vectigalibus cogitet, cum adnotet τέλη δὲ τὰς τελετάς sic agit quasi hoc quoque loco aliquid insuitatius Sophocles praetulerit. Id autem vocabulum in vulgi usum et consuetudinem receptum esse lexica ipsa declarant. Nec minus errat si existimat voc. quod est τελευτή ad mysteria i. e. ad sacra ipsa referendum esse, τέλος vero ad initiationem. Etenim ap. Herod. II 171 καὶ τῆς Δήμητρος τελευτῆς πέρι, τὴν οἱ Ἕλληνες θεσμοφόρια καλέουσι, καὶ ταύτης, μοι πέρι εὔστομα κείσθω sacra ipsa nimirum indicantur, sed IV 79 μέλλοντί οἱ ἐς χεῖρας ἄγεσθαι τὴν τελευτὴν ἐγένετο φάσμα μέγιστον aperte initiandi caerimoniae significantur. Vix opus est adferre quae Plato in Rep. II 365 A posuit λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων, ἃς δὴ τελετὰς καλοῦσιν. Prorsus idem cum valeat id quod est τέλος (Plat. Rep. VIII 560 E τοῦ τελουμένου μεγάλοις τέλεσι), data erat Sophocli optio. Et quoniam utrumque per se perfectionem vel finem significet, ex eis quae de sacrorum illorum propria vi ac potestate, orationis immutatae involucris tecta, pervulgata sunt facile colligitur quomodo in illum sensum abire potuerit. Summum enim quod quis suspicere se atque consequi posse putabat erat initiatio ἧς οἱ μεταλαχόντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν (Isocr. IV 28): unde factum est ut epoptae ad τέλος vel τελευτὴν pervenisse dicerentur. Quamobrem hic, si umquam, ea est natura dativi θνατοῖς, ut deae commodum secutae hominum, quibus mirabiles utilitates praebeant, sacra illa fovere dicantur.

ὧν καὶ χρυσέα κλῆς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε προσπόλων Εὐμολπιδᾶν. His versibus non dubium est quin agatur de non vulgandis Cereris sacris

τά τ' οὔπως ἐστὶ παρεξέμεν οὔτε πυθέσθαι
οὔτ' ἀχέειν· μέγα γάρ τι θεῶν ἄγος ἰσχάνει αὐδήν (Hom. h. i. Cer. 478).

At vero cum fieri possit triplici modo ut inter se cohaereant singulae voces, quaeritur quid et sensui et linguae et poetici sermonis legibus optime conveniat. Quin quartam extundere poteramus explicandi rationem, si interesset quicquam errorum struem erroribus cumulare. Sed ubi in fraudem induci in proclivi est non tam turpe est errasse quam errore detecto nihilo minus vana sectari et doceri se non pati. ‚Cur nescire pudens prave quam discere malo?' Distant aera lupinis. Lupinis vero his adnumeranda hoc loco omnia sunt quae recedunt ab

interpretandi ratione Godofr. Hermanni, viri cum omnibus, qui tragicis Graecis emendandis operam dederunt, ingenio longe praestantis tum suapte indole poetarum illorum simillimi. Is omnia quae proferebantur ita perstrinxit ut si verbum adderemus res ageremus actas. Augustus autem Meineke, qui cum Herm. stat, addidit id quod Schneidewinus ait ‚initiandorum ori clavem impositam esse' ridiculum et commenticium esse. Quodsi Schneidew. ex illo usu explicandas esse censet locutiones quales sunt *ἀρρήτων ἐπέων γλώσσῃ σφρηγὶς ἐπικείσθω, σφραγίζεσθαι τὸν λόγον, τὸ στόμα* al. eodem nomine notandus est. Non ea sum temeritate ut Schneidewinum irridere velim, sed mira mehercule dixit cum illis locutionibus hinc esse lucem petendam contenderet. Quasi vero quicquam intercedat inter sigillum et clavem, si dis placet, ori impositum: aut quasi revera eorum quos tacere voluerunt ora consignaverint cera. Eodem opinor iure statuemus Theogn. v. 421

*πολλοῖς ἀνθρώποις γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται*

ligneas valvas poetae animo obversatas esse. — Sed Reisigius Aesch. Ag. 36 *βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν* in medium protulit dicens Sophoclem locutionem proverbii loco habitam ornasse. Vellem hoc non dixisset. Undecumque enim orta est illa locutio, id omnes consentiunt, ut ipse ait Reisigius, — dissentit Lobeckius ad Agl. p. 36 — in eos eam cadere qui praemio sunt ad tacendum perducti. Atqui pecunia data non adduxerunt epoptas ut ne profanarent illa arcana, sed poenas proposuerunt vulgaturis gravissimas (*θεῶν ἄγος* l. l.) nisi forte has effugisse praemium esse arguteris.

*βέβακε* eodem modo quo Aesch. l. l. temporis praesentis munere fungitur ita ut de motu ipso iam non cogitetur sed remorandi vel versandi alicubi notio insit. Quare saepissime occurrit coniunctum cum praepositione motum non indicante, ut Oed. C. 52. Eur. Heracl. 62. Ferebat vero poetici sermonis natura ut saepius in tenuis illius ac parum nervosi *εἶναι* locum succederet significantius verbum ac plenius. cf. Krüger. ad Thuc. I 6, 3. Inde repetendum est quod chorus ubi Oedipus versetur quaerens Oed. C. 118 *ναίει* voce utitur ‚*τίς ἄρ' ἦν; ποῦ ναίει;*' vid. 136. 1336. Aiac. 299. Eodem modo respuisse Romanorum poetas verbum quod est *esse* pluribus Heindorf ad Hor. Serm. II 7, 59 comprobavit.

v. 1054 *ἔνθ' οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν*
*Θησέα καὶ τὰς διστόλους*
*ἀδμῆτας ἀδελφὰς*
*αὐτάρκει τάχ' ἐμμίξειν βοᾷ*
*τούσδ' ἀνὰ χώρους.*

Jam delati sumus ad locum qui homines eruditos satis quidem vexavit, sed eo maiore cum plausu acceptus est, quo pluribus medelae expiscandae potestatem fecit. Atqui elusit emendandi conatus praesertim cum et stropham et antistropham mendo inquinatas esse appareat. Antistrophae autem, in qua haec inveniuntur

*πᾶς γὰρ ἀστράπτει χαλινός, πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατ'*
*ἀμπυκτήρια φάλαρα πώλων*
*ἄμβασις* et q. s.

consuluisse videtur God. Hermann eo quod, cum glossa apud Hesychium haec extaret *ἀμπυκτήρια· τὰ φάλαρα. Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐν Κολωνῷ*, secutus Bothium *φάλαρα* ut interpretamentum e textu eiecit et *κατ'* illud in *χαλῶσ'* et *πώλων* in *πωλικά* mutanda esse suspicatus est. Quamquam Nauckius causa non addita edixit *πωλικά* admittendum non esse neque id Dindorfius recepit post *ἀμπυκτήρι'* choriambicae mensurae vocabulum excidisse ratus. Idem *κατά* servavit securus de macula ob hiatum Wundero ab Hermanno inusta. Sed redeamus ad stropham. Hermannus cum apud scholiastam reperiret legi etiam *ὀρειοβάταν* pro eo quod est *ἐγρεμάχαν*, illa voce ita usus est ut et *ἐγρεμάχαν* et *ὀρειβάταν* a Sophocle profectum esse diceret, negaret *Θησέα*, quod esset ab aliquo legentibus consulturo adiectum. Sunt sane illae quidem voces eiusmodi notae ut librarios alteram utram addidisse vix nobis persuadeamus, sed — nisi de Theseo solo cogitandum est — quominus Coloni incolas dici existimemus vereor ne obstet numerus singularis. Eadem ratio movisse Nauckium videtur ut *τόν* in *λεών* mutare vellet (*ἔνθ' οἶμαι λεὼν ὀρειβάταν*) idemque probat Halmii coniecturam *ῥυσόμενον* pro glossemate quod est *Θησέα καὶ*. Dindorfius vero in editione tertia Oxoniensi *Αἰγεΐδαν* esse legendum

censet. Contra Meinekius servatis *Θησέα καὶ* vocabulis, ubi *καὶ* ‚*etiam*' esse Spengelius admonuerit, *ὀρειβάταν* illud ut metro convenientius commendat. Permutatis autem litteris *Π* et *Κ* corruptelam ortam esse putat I. N. Wecklein in libro qui inscribitur Ars Sophoclis emendandi p. 49. Amovendum esse *καὶ*, quod sive *etiam* sive aliter vertatur, ferri non possit. Legendum esse *Θησέα παῖδας διστόλους, ἀδμῆτας ἀδελφάς:* ‚sic opiniones vanas de glossematis in irritum cadere.' Denique H. Gleditsch in libelli quem inscripsit die sophocleischen Strophen metrisch erklärt part. I Berol. 1867 p. 31 *Θησέα* spurium esse itemque *καὶ* ob *Θησέα* intrusum inter omnes ait constare; metro autem ostendi vocibus illis e sede sua expulsum esse *ἐγρεμάχαν*. Quae si recte disputata sunt, post *οἶμαι* quid exciderit quaeritur. Atque Gleditsch quidem suspicatur restituendum esse *ὀρείταν*, quoniam in antistropha omnia se recte habeant nisi quod *φάλαρα* delendum sit: sic igitur scribendum

str. *προσπόλων Εὐμολπιδᾶν· ἔνθ' οἶμαι ὀρείταν*
*ἐγρεμάχαν τὰς διστόλους ἀδμῆτας ἀδελφάς* —
ant. *πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατ' ἀμπυκτήρια πώλων*
*ἄμβασις, οἳ τὰν ἱππίαν τιμῶσιν Ἀθάναν* —

Fateor omnium maxime mihi hanc adridere loci constituendi rationem, praesertim cum a Laurentiani scriptura minus discrepet quam alii criticorum conatus: si quis autem est cui deficiens articulus offensioni sit, reminiscatur velim in carminibus poetas et tragicos et lyricos poetarum epicorum more aut omnino non aut raro articulo uti.

In eis quae sequuntur verbis *αὐτάρκει βοᾷ* offensioni est. Atque *βοήν* quidem vocem non dubitandum quin Sophocles, qui quanto opere Homerica sectatus sit nemo ignorat, pugnam significare voluerit. Sed *αὐτάρκει βοᾷ* ‚mire dictum est,' ut Nauckius aliquo iure corrupta ea praedicare posse videatur. Hermannus adscripsit: idoneam pugnam dicit satis virium esse Theseo indicans ad vindicandas puellas. Atqui *αὐτάρκης* non est idoneus, sed dicitur is qui alio adiutore non eget, ut deum Plato statuit esse *αὐτάρκη*, qui suis se viribus sustentaret. Itaque illud huc non quadrat. Quodsi Meinekii mutatio *ἀνταρκεῖ* lenissima eademque sensui convenientissima non praeferenda videtur — nam quamquam hoc adiectivum alibi non legitur, de verbo tamen constat —: illa vox sic explanari potest ut alteram compositi partem delitescere prope putandum sit. Qua de re ad voc. quod est *διστόλους* disputabimus.

*τὰς διστόλους ἀδμῆτας ἀδελφάς.* Jam ut de eo quod est *διστόλους* videamus, optima fundamenta iacere nobis videmur allatis eis quae Hermannus in explicatione Aiacis Sophocliae v. 221 posuit. ‚Proprium est, inquit, Graecae poesos epitheta composita ita usurpare ut primaria tantum quae in iis inest notio ad sensum loci adhibeatur, altera autem auribus tantum pleniore sono oblectandis inserviat.' Quod vero Schneidewinus ad Aiac. 390 voces numerum indicantes solas appellavit (*οἰόζωνος, ἑκατόμποδες, δισσάρχαι, δικρατεῖς*): vereor ne rem latissime patentem angustis finibus circumscripserit. Quodam modo tamen se correxit ad Oed. C. 718 *ἑκατομπόδων Νηρῇδων*, quod satis virorum dd. disputationibus vexatum est, ex nostra fabula 57 v. adferens *χαλκόπους ὁδός*, sed Oed. R. 418

*καί σ' ἀμφιπλὴξ μητρός τε καὶ τοῦ σοῦ πατρὸς*
*ἐλᾷ ποτ' ἐκ γῆς τῆσδε δεινόπους ἀρά*

nescio an non recte *ἀμφιπλήξ* eo quod est *διπλῆ* interpretatus sit: infringit enim vim metaphorae, qua parentum dirae ancipitis gladii (Trach. 930) aciei comparantur. Quae Meinekius h. l. attulit exempla, iisdem usus est Schneidewinus ad Oed. R. 846. — Sed consideremus, si placet, pauca exempla, in quibus eandem propriae potestatis iacturam fecisse alteram compositae vocis partem apparebit. Apud Aeschylum Prom. 794 *ἵνα Φορκυνίδες ναίουσι δηναιαὶ κόραι Τρεῖς κυκνόμορφοι* non cycni forma sed canities sola significatur. Ipse vero Schneidewinus ad Oed. Col. 343 adscripsit *κατ' οἶκον οἰκουροῦσιν* dici potuisse quod verbum aliquid potestatis suae exuisset, quibus similia ad Trach. 760 adnotata essent *ταυροκτονεῖ βοῦς*. Atque illud Homericum *νέκταρ ἐφνοχόει* iam schol. ad Eur. Phoen. 28 attulit, ubi legitur *ἱπποβουκόλοι*. Il. Y 221 *ἵπποι βουκολέοντο*, apud Eupolim *βουκολεῖσθαι αἶγας*, Ael. de nat. an. XII 44 *οἱ βουκόλοι τῶν ἵππων*, Philostr. Her. XIX 750 *βουκολεῖθαι ἵππον*, idem Vit. Ap. II 1, 19 *ἱπποκόμος τῶν καμήλων*. — Luc. Ver. Hist. I 34 *πλέομεν ἐπὶ σκάφους μικροῦ*,

ὃ ἐγὼ ἐναυπηγησάμην. Diod. Sic. XV 79 τριήρεις μὲν ἑκατὸν ναυπηγεῖσθαι, νεώρια δὲ ταύταις ἴσα τὸν ἀριθμόν. Luc. Dial. Mort. XIII 2 οἰκοδομοῦντές σοι νεώς. Arist. Plut. 820 βουθυνεῖ ὖν καὶ τράγον καὶ κριόν. Eur. Bacch. 103 γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ. Soph. Aiac. 545 ἀλλ' αὐτίκ' ὠμοῖς αὐτὸν ἐν νόμοις πατρὸς Δεῖ πωλοδαμνεῖν. — Ad Eur. Bacch. 1150 νάρθηξ εὔθυρσος adfert Schoene Eur. Troad. 125 εὔορμοι λιμένες, Phoen. 1565 ποῦς τυφλόπους, 66 κάματος εὐκάματος, Aesch. Prom. 587 πολύπλανοι πλάναι, Bacch. 562 ὀλβοδότης εὐδαιμονίας, cf. Schneidew. ad Soph. Trach. 760. Eodem pertinent Soph. Aiac. 138 λόγος κακόθρους, 296 ἔσω δ' ἐσῆλθε, El. 802 εἴσιθ' εἴσω, itemque Homericum illud ἄσιτος ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος, quode vid. Krueger. gr. gr. II 46, 26, 8. — Postremo adferenda videntur quae in eius libri qui Hermes inscribitur tom. I p. 26 M. Haupt posuit. ‚ἀστεροειδέα [νῶτα αἰθέρος] illud, inquit, eo minus mihi videtur sollicitandum *quo magis vereor ne, si conposita tragicorum adiectiva omnia ad vivum resecanda esse censeamus, aliquam multa nobis mutanda sint aut prorsus delenda.*'

ἀδμῆτας. Non satis intellego quid sibi voluerit Dindorfius cum adnotaret: ‚Recte Theseus pugnae contra eos, qui puellas vi abductas tenent, puellas ipsas immixturus esse dicitur. Quam poetae sententiam esse cognoscitur ex epitheto ἀδμῆτας, quod parum aptum foret nisi puellae ipsae quodammodo participes pugnae esse dicerentur.'

Immo hoc epitheton virginis non nuptae, non autem virginis pugna invictae esse credidi motus communi veterum sentiendi de hac re ratione: quae optime inlustratur Horat. Carm. II 5. Ita, ut de δάμαρ voce quae ad eandem originem revocanda est nihil dicam, virgo saepius appellatur δάμαλις (*iuvenca* ap. Hor. l. l.), πόρτις, πῶλος (Pape s. v. non commemoravit Eurip. Andr. 621 Hec. 142). Sed μόσχος a virgae flexibilis, mollis, tenerae notione profectum translatum est et ad hominum partus et ad ferarum pullos: cf. πτόρθος Eur. Hec. 20. — De Pallade intacta Eur. Troad. 537 dictum est χάριν ἄζυγος ἀμβροτοπώλου. —

**C. Goetschke.**